



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 537. Num aliunde quàmratione temporis creditorem non privilegiatorum unus alteri præferendus. v.g. quia prius petit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

olvenda omnia integrè, non sunt solvenda omnia quò ad partem; sed solvendum primo loco votum, quòd est de meliore præ reliquis votis bono Deo magis gratum. Sanch. n. 41. Lugo. n. 92. eò quòd, dum debentur impossibilia debitori, solvendum quòd melius est. Si verò vota sunt æqualia, videtur Lugo n. 93. inclinare in eam partem, quòd stet electio penes hæredem, utpote representante defunctum, in cujus utique erat potestate exsolvere unum ex istis æqualibus votis præ alio, dum non poterat implere omnia. Plura de his *ad tit. de testamentis.*

Quæst. 536. Inter creditores personales non privilegiatos an & quis in solvendo servandus ordo.

Resp. Non convenire in hoc AA. siquidem dum debita personalia sunt ejusdem rationis, creditorem non privilegiatum, qui prior est tempore, seu cujus debitum est antiquius, priorem quoque esse jure, seu ei solvendum præ aliis non privilegiatis, docent D. Tho. in opusc. 83. c. 8. Gabr. in 4. dist. 25. q. 2. a. 3. du. 6. Salon. 2. 2. q. 62. a. 8. in fin. Suar. in opusc. de just. l. 3. n. 7. Sa. V. restitutio. n. 63. Rebell. de oblig. just. p. 1. l. 2. q. 19. n. 11. & alii, quos citat & sequitur de Lugo l. c. n. 146. qui ait, videri sibi hanc sententiam magis consonam æqualitati, probatque illam à priorè. n. 154. ex eo, quòd quando quis se obligat priori creditori ad solutionem debiti, eo ipso se obliget implicite ad non ponenda impedimenta huic solutioni, adeoque teneatur ad non obligandum se aliis creditoribus, nisi salvo jure prioris; cum hoc modo tollat impedimenta, quæ moraliter oriri possunt, ne priori satisfaciatur, alioquin per secundam illam obligationem semper exponens illum periculo amittendi vel in totum vel in partem debitum suum. Adducit insuper pro ea confirmanda plura exempla à n. 147. dum nimirum eadem res ex intervallo est vendita duobus & neutri tradita, neuter acquirit jus in re, sed solum ad rem, & tamen priori emptori ea est tradenda, ex quo exemplo argui possit universaliter; cum ibi prior emptor id eò solum præferatur; quia prius obligavit venditorem ad rem sibi tradendam, quæ, cum non possit in solidum dari duobus, debet dari priori. Similiter autem prior creditor obligavit debitorem ad sibi solvendum ex bonis suis, quæ ratio non diluitur dicendo, emptorem habere jus determinatè ad hanc rem, adeoque ad eam promittendam alteri obligare se non potuit venditor; cum obligare se ad id non possit, quod sine peccato implere nequit, in præsentè verò casu emptor nullum habet jus ad ullam rem determinatam, adeoque creditor se potuit validè obligare secundo emptori. nam ut rectè opponit de Lugo. n. 148. si priori emptori venditus est unus ex duobus equis, quos habebat venditor reservata sibi electione, eodemque modo posteriori vendidisset unum ex illis, mortuo uno utrique satisfacere nequit, utriusque primo emptori dare debet superstitem equum, etsi is vi venditionis ad nullum equum determinatè jus haberet, & licet venditor secundo emptori tunc, vivente utroque equo, se obligare poterat; quia utriusque emptori satisfacere non poterat. Item probat exemplo ducto à sponsalibus, dum quis iis contractis, promittens matrimonium alteri, tenetur ducere primam. Idem est de promittente pluribus eandem præbendam primò vacaturam. Sed neque id diluitur dicendo non posse rem eandem indivisibilem promitti secundo sine injuria prioris, cui rem illam totam debet, nam etiam idem servandum, si obligatio secunda facta sine injuria prioris, ut con-

stat ex dictis de vendente secundo unum ex duobus equis relicta sibi electione. unde prælatio prioris emptoris non solum facienda propter injustitiam secundæ obligationis; sed propter jus priori jam quæsitum, cui præjudicare non potuit secunda obligatio, etiam si licita & justa. Alias probationes factas à pari vide apud de Lugo à n. 151. uti & à n. 155. refutationes eorum, quæ contra objici possunt, ac potissimum illius, quòd adducit Turrianus, nimirum nec ex jure positivo, neque ex jure naturali ostendi posse prioritatem temporis conferre hoc jus prælationis, dum nimirum ex Jure Canonico satis id constat, Pontifice generaliter definiente, illum præferendum, cujus jus est prius tempore, de jure etiam naturali satis quoque videtur constare ex argumentis jam factis. Nihilominus contrarium, nimirum inter creditores personales non privilegiatos nullum ratione prioritatis temporis servandum esse ordinem in solvendo uni præ alio totum debitum, sed pro rata solvendum omnibus, dum bona debitoris solvendis integrè omnibus non sufficiunt, tradunt Bald. in l. pro debito. c. de bon. Auth. Jud. possiden. Sylv. v. restitutio. 6. q. 5. n. 5. Nav. in man. c. 17. n. 51. Moliu. de f. & f. tr. 2. d. 546. ad fin. Pet. Nav. de restit. l. 2. c. fin. n. 16. Valq. tr. de rest. c. 11. du. 2. n. 49. Less. de just. l. 2. c. 15. num. 48. & alii, quos citat & sequitur Castrop. tr. 32. d. 1. p. 18. §. 18. n. 5. dicens communiorè & veriorè ex ea ratione, quòd in personalibus obligationibus sola persona subeat obligationem solvendi, tamen si mediis bonis quæ habet, solvere teneatur; persona autem debitoris cum sit eadem, & ob obligationem priori creditori factam non impediatur novam obligationem subire, creditor posterior in suo jure ex prioris creditoris antecedentia non impeditur, sed æquè in exactione sui debiti concurrere poterit, ita Castrop. Verùm cum hæc ratio terè cõcidat ex dictis pro priorè sententia; dum etsi persona debitoris obligetur in hoc casu ratione sui, non poterit tamen obligare se secundo ad aliquid absolute, quòd præstari nequit sine injuria illius, cui se prius obligavit, nimirum ad solvendum debitum; sed solum sub conditione, si & quantum ex bonis meis satisfacere possum utrique. Vide de Lugo. n. 152. hinc inquam videtur mihi sententia prior probabilior.

Quæst. 537. Nun aliunde quam ratione temporis creditorum non privilegiatorum unus alteri præferri debeat aut possit. v. g. quia unus prius petit.

Resp. Creditor petens debitum sibi solvi in judicio; & sententiam obtinens aliis creditoribus ex eadem causa præferatur, jure illi concedente hanc prælationem in præmium diligentia & vigilantia. Castrop. l. c. §. 2. n. 2. juxta L. inter eos ff. de re judicat. juncta gl. l. si hominem. §. quoties. l. de possess. l. qui autem. §. sciendum. ff. qua in fraud. credit. Ut autem ipsi præ alius solvantur, non esse necessariam executionem sententia, dum interim alii creditores solutionem non petunt & executionem non obtinent, censet Valq. l. c. du. 1. n. 113. Baldo & aliis sententibus, hanc sententiam, interim dum non mandatur executioni, aliis creditoribus eandem causam habentibus non præjudicare; unde illi possunt similiter petere suorum debitorum solutionem, & cum eo, qui sententiam prius obtinuit, concurrere. Si tamen alii creditores, antequam debitum solveretur illi primò petenti, obtinerent executionem, ei præferendi sunt; uti etiam, dum ex pluribus, pro quibus lata sententia obtineret executio-

nem

nem, is preferendus ceteris. Castrop. l. c. n. 3. cum ea sententia vel executio vicem pignoris habeat in bonis debitoris, ut Idem cum Molin. cit. d. 536. circa finem. Postquam vero debitor cessit bonis, vel etiam ea auctoritate Judicis sequestrata, vel quia propter absentiam debitoris, creditor aliquis missus in possessionem bonorum debitoris, ut transacto beneficio ex iis fiat ei satisfactio, non potest debitor creditorem unum preferre aliis, quia interim non potest debitor ea bona applicare alteri, sed reservanda sunt, ut inde creditori tali & aliis omnibus intra illud biennium comparantibus, sequestratione, etiam ante sententiam petenti exigentibus debitum aliis tacentibus posse debitorem debitum integrè solvere, dum videt se pauperiorem & impotentiorum reddi solvendo aliis omnibus integrè asserunt apud Castrop. Sylv. v. restitutio. 6. q. 8. Nav. in man. c. 17. n. 58. propendente in idem Molin. l. c. juxta L. qui autem. §. sciendum. ff. qua in fraud. creditor. l. pupillus. eod. Si tamen proprio motu id faceret debitor, peccatum contra Justitiam, tamen factum teneret, nec recipientem teneri restituere, tradunt idem AA. eò quòd citatis LL. tale solum non revocetur, & hoc ipsum posse in conscientia retineri, ne aliàs dictas leges fovere injustitiam dicendum esset. Sed quid quid quòd ad hæc sit spectato foro judiciali & externo, de quo vide Castrop. n. 5. contrarium tamen quòd ad forum conscientia, nimirum non posse debitorem integrè uni creditorum æquale cum aliis jus habenti, relicto aliis insolvis solvere, & creditorem acceptum teneri restituere, idque etiam non obstante dicta petitione creditoris, probatius existimat Castrop. n. 6. ex ea ratione, quòd spectato jure naturali, dum bona debitoris omnibus non sufficiunt creditoribus solvendis, pro rata sint inter eos dividenda; neque ullus creditorum in eo casu jus aut actionem habeat, ut sibi integrè solvatur, adeoque ea etiam petitio creditoris injusta sit, & nullum ei jus acquirat. neque ea, quæ jure natura circa sunt nullatenus jure positivo immutata videantur; cum citatæ leges attentè consideratæ tantum concedant, & solum integrè non revocetur, non verò, quòd petenti integrè solvendum, aut etiam is solum retinere possit. neque ex eo, quòd tale solum revocandum non sit, inferri potest licita ejus retentio, cum leges sæpe ad vitandas lites revocationem negent, cujus tamen retentio in conscientia est illicita, ut patet in deceptione ultra dimidium, ita Castrop.

Quest. 538. An creditori personali pauperiori vel amico debitoris præ aliis solvi possit.

R Esp. ad primum: posse debitorem non habentem, unde omnibus creditoribus satisfaciat, uni eorum præ aliis graviter egenti debitum totum integrè solvere aliis relicto insolvis, aut non integrè solutis, lege charitatis & misericordia id permittente, tenent cum D. Tho. in opusc. 73. de vestie. c. 18. Sa. V. restitution. 60. Laym. l. 3. sum. tr. 2. c. 11. n. 7. & alii apud Castrop. l. c. §. 20. n. 1. propendente in idipsum Molin. tr. 2. d. 536. in fine. distinguunt melius Vasq. opusc. de rest. c. 11. du. 4. Lell. l. 2. c. 15. du. 7. n. 46. Castrop. l. c. n. 2. ita ut, si creditor ille ita graviter prematur, ut illi alter creditor deberet succurrere ex misericordia ea parte,

quæ sibi debita est, debitor possit & debeat ei debitum integrè solvere, eò quòd illa solutione alteri creditori diviti non fiat injuria, cum præstando, quod is debebat præstare, potius ejus negotium gerat. Secus est, si necessitas illa tanta non est; cum pauperi nullum privilegium prælationis à jure positivo concessum; neque etiam à jure naturali; quia jus naturale æquè obligat solvere diviti ac pauperi; cum utrumque debitum est ex Justitia, etsi intra eandem speciem debitum pauperis sit gravius debito divitis, sicut debitum 100. est gravius debito 50. & tamen unum alteri non cedit, sed utrumque secundum proportionem solvendum. Vide quoque, quod tradit de Lugo. cit. d. 20. n. 175. nimirum quod licet nequeat debitor ob solam majorem paupertatem unum alteri præferre, possit tamen id Judice ad hoc, uti potest, compellente, postquam debitor ei, uti debet, exposuit, se ad omnibus solvendum integrè esse insufficientem.

2. Resp. ad secundum: Tamen si debitor ex se directè nequeat præferre creditorem sibi amicum, potest tamen id ipsum indirectè in ea sententia, quæ dicit, creditorem prius petentem habere prælationem contra alios æquales non petentes, ut sibi totum debitum solvatur; nimirum monendo amicum suum, ut præveniat alios petendo, quæ petitione positâ, jam ipsi præferri debet; neque enim prohibetur quis id consulere alteri, quod hic licitè facere potest; neque etiam debitor in obligatione, quam habet ad alios creditores, tenetur abstinere ab hoc officio amicitia; cum per hoc non præjudicet juri eorum, sed solum amicum creditorem doceat de privilegio juris communis, quo ipse, si velit, uti potest, ita fecit de Lugo. n. 174. secus tamen est in sententia negante prælationem prius petenti.

Quest. 539. Quo loco & cuius expensis facienda solutio.

1. **R** Esp. Primò solutio debiti ex delicto, v. g. ex furto, rapina, illicitis usutis, aliave injusta damnificatione (quo etiam de Lugo. d. 20. n. 180. refert lucrum cessans & damnum emergens, non tantum ex ipsa rei ablatione aut destructione, sed etiam ex culpabili mora debitoris, utpote quod totum ex ea incipit esse debitum ex delicto) sumptibus debitoris deferri ad locum debet, in quo creditor eam haberet, si sublata aut destructa non fuisset, detractis tamen expensis, quas creditor in ea conservanda vel deferenda facturus fuisset, nisi forsan hæc majores essent re ipsa solvenda vel restituenda. cum aliàs damnum creditori integrè reparandum sit, ita cum comuni Cajet. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 3. Sylv. v. restitutio. 4. q. 4. Nav. c. 17. n. 42. Pet. Nav. de rest. l. 4. c. 4. n. 2. Covar. regul. peccatum. p. 1. n. 9. Laym. l. c. c. 10. n. 3. Molin. d. 752. Lell. l. 2. c. 15. n. 48. du. 8. Vasq. l. c. c. 10. du. 1. Castrop. l. c. §. 6. n. 1. Tamen etsi igitur, ut de Lugo l. c. n. 182. in fine, generaliter loquendo possit debitor excusari à restitutione mittenda creditori cum magno sui detrimento, sive ob expensas, sive ob aliam causam ex restitutione secuto; in mensura tamen huius assignanda, seu quantas in specie expensas facere teneatur debitor ex delicto; ut res ad locum, in quo moratur dominus, restituatur in eo non conveniunt etiam hi ipsi AA. dum aliqui tradunt excusari debitorem à transmissione rei, quando in ea facienda sumptus ob distantiam loci aliave de causa æquarent debitum seu rem ipsam, ut Sylv. quod tamen rectius negat sufficere de Lugo. n. 186. cum Vasq. eò quòd magis æquum sit, ut delinquens patiatur jacturam illam in bonis suis, quam quòd